



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Vniuersa Theologia Scholastica, Speculatiua, Practica**

Ad methodum S. Thomæ, quatuor Tomis comprehensa

**Tanner, Adam**

**Ingolstadii, 1626**

Quæstio IX. De Ideis Diuinis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72856)



quid attribui secundum se, quod non attribuitur ei, in quantum fiat sub actu sciendi.

14 Quo modo responderetur etiam ad instantiam superius argumento adiectam. Cum enim in hypothese facta ipsius diuinæ præscientiæ includatur & supponatur ipsa futuritio peccati, vt dictum, fieri non potest, vt re ipsa futurum aut factum ponatur oppositum eius, quod præuisum est; videlicet Petrum non peccare: sic enim stare simul vtrumque contradictorium, videlicet Petrum peccaturum ex hypothese præuisiois, quæ supponit futuritionem peccati, vt dictum; & non peccaturum ex hypothese data; atque ita proinde fieret sensus compositus. Secus est, si loquamur de posse non peccare, vt significat intrinsecam potestatem liberam in Petro, ad non peccandum; hac enim etiam stante, non redditur sensus compositus, quo videlicet futuritio peccati cum non futuritione eius coniungatur; quandoquidem etsi possit non peccare, alterum tamen solum contradictorium illud, quod præuisum est, infallibiliter futurum est, videlicet Petrum peccaturum. Sensus igitur compositus & falsus est, cum dico, Petrus potest peccare simul & non peccare; sensus diuisus & verus est, Petrus potest peccare, & potest non peccare; siue quod idem est, potest peccare, vel non peccare. Et vero etiam alias sæpe rectè dicitur, aliquid posse Deum aut hominem facere, quod tamen factum poni non potest: nempe quoties ex facto esse, sensus diuisus, in quo solum aliquid facere aliquem posse conceditur, mutatur & transit in sensum compositum, adeoque impossibilem. Dicimus enim, Petrum posse comedere hodie singulos panes huius vrbis, non omnes copulatum; & tamen concedi minime potest, nec verò etiam consequens

est, comedisse singulos: tunc enim etiam comedisset omnes copulatum quod impossibile est; de qua re plura quæst. 11. dub. 4.

15 Quarto obijcitur. Omne scitum à Deo necesse est esse; quia certitudo & infallibilitas præscientiæ hoc postulat: si ergo Deos præscit futura, necesse est illa esse; ergo sunt necessaria. Respondetur, cum Suarez hic lib. 3. c. 3. n. 16. opus. cit. lib. 1. de scientia Dei cap. 9. nu. 21. tam antecedens, quam consequens esse verum, non de necessitate simpliciter, opposita libertati; sed de necessitate immutabilitatis & infallibilitatis, adeoque compositionis & in sensu composito. Eodem redit solutio S. Thomæ hic q. 14. a. 13. ad 3. vbi ait: *Ea que sunt scita à Deo, oportet esse necessaria secundum modum, quo subsunt diuinæ scientiæ; non autem absolute secundum quod in proprijs causis considerantur. Vnde & hac propositio. Omne scitum à Deo necessarium est esse, consuevit distinguere; quia potest esse de re, vel de dicto: si intelligatur de re, est diuisa & falsa; & est sensus, omnis res quam Deus scit est necessaria. vel potest intelligi de dicto; & sic est composita & vera; & est sensus, hoc dictum, scitum à Deo esse, est necessarium, &c.* Plura Vasquez disp. 68. cap. 5.

16 Quo modo verò cū libertate concilietur sciētia approbationis, nil attinet hoc loco speciatim declarare: quia cū secundum se accepta, vt est ipsa scientia simplicis intelligentiæ, non necessario secū trahat vel inferat effectū, nihil parit ea hac in re difficultatis. Prout verò, adiunctū habet liberū decretū diuinæ voluntatis, & formaliter scientia approbationis dicitur, sic quidē secum infallibiliter trahit effectū cognitum: sed non ratione sui præcisè, sed ratione adiunctæ voluntatis liberæ, quæ quomodo cū libertate arbitrij concilietur, infra q. 10. dub. 8. dicitur. Atque hæc de diuina scientia satis.

## Q V Æ S T I O IX.

### De Ideis Diuinis.

S. Thomas 1. p. q. 15. aa. 3.



*Resoluetur hac quæstio duabus dubitationibus. I. An & quid sint Ideæ in mente diuina. II. Quot & quarum rerum Ideæ sint in mente diuina. Et poterat quidem hæc renouari ad quæstionem præcedentem, de diuina scientia; quia Ideæ ad scientiam artificis pertinent: ne tamen nimis proluxa euaderet ea quæstio; & quia ipse etiam S. Thomas hic quæstionem de Ideis, à quæstione de scientia Dei seiuinxit, eademq; postposuit; non inconsulto eam nos etiam à præcedenti seiuinximus.*

#### DVBIVM I.

### An, & quid sint Ideæ in mente diuina.

S. Thom. 1. p. q. 15. a. 1.

1 **I**deæ generatim loquendo nihil aliud est, quam exemplar seu forma quædam, ad cuius imitationem artifex liberè quiddam, & ex intentione operatur, iuxta S. Thomam q. 3. de verit. a. 1. Ea duplex est; vna externa, quam oculis intuetur artifex; seu quam extra se à parte rei existentem imitatur arti-

fex: altera interna, & in ipsa mente artificis sita. Hoc posito ad propositam dubitationem sequentibus assertionibus respondemus.

2 **A**ssertio I. Sunt, & dantur in mente diuina Ideæ. Ita post S. Dionysium c. 5. de diuin. nom. & S. Augustinum l. 83. qq. q. 46. & alibi sæpe, vnanimiter docent Scholastici, cum S. Thoma hic q. 15. a. 1. & de verit. l. cit. & cum Magistro in 1. d. 35. & 36. conformiter Socrati, Platoni, vbi de formis separatis agit, alijsq; antiquis Philosophis, vt refert Vasquez hic disp. 71. c. 1. vbi etiam post alios censet, Aristotelem Platoni, in referenda & exponenda hac eius sententia, fecisse iniuriam.

Ratio



Ratio est. Quia omnis artifex & intellectuale agens, respectu effectus artificiatum seu liberi, propositum sibi habet exemplar seu formam quandam, ad cuius imitationem effectum illum efficit & conformat; nec vero potest aliter effectum eiusmodi producere, nisi prius in mente conformet conceptum, adeoque similitudinem effectus eiusmodi producendi. Cum ergo Deus sit agens intellectuale, & perfectissimus artifex omnis rei creatae, quae ad extra liberè utiq; producit, necessario fatendum est, eum in sua mente habere Ideas, utiq; internas sibi & intrinsecas; adeoque in ipsa mente & intellectu diuino, seu obiectiue, seu formaliter existentes. Quare etiã in Deo ideas esse, tã certum fuit S. Augustino, ut apud S. Thomã de veritate. l. cit. dixerit, eum qui neget Ideas in Deo, *infidèle esse; quia negat filium Dei esse*: cui scilicet, uti & cetera attributa, quae ad intellectum pertinent, per quandam appropriationem tribuitur nomen Idearum.

3 Assertio II. In Deo non habet locum Idea externa; sed solù interna, in ipsa eius mente, seu obiectiue, seu subiectiue constituta. Ita S. Thomas ei. a. 1. ad 1. omnesq; Theologi loc. cit. Ratio est. Tum quia idea externa imperfectionem denotat in operante; ut qui non possit in ipsa mente ita facile aut perfecte, absq; subsidio externo, formare sibi formam rei faciendae. Tum quia Idea externa causalitatem dicit, non solum respectu effectus producendi, sed etiam respectu ipsius operantis; quatenus ad eius similitudinem & imitationem, mentis conceptionem conformat. Vnde sequitur, in Deo solum habere locum ideas internas; quas etiam in ipsa mente diuina seu obiectiue, seu formaliter existere nemo negat; & Augustinus loc. cit. ait, *sine impietate negari non posse*.

Assertio III. Idearum, quatenus quidem in Deo existunt, sunt increatae, aeternae, & immutabiles. Ita docet S. Augustinus cit. lib. 83. qq. q. 46. ubi ait. *Ideae sunt principales quaedam formae, vel rationes rerum stabiles atq; incommutabiles: quia ipsae formatae non sunt, ac per hoc aeternae, ac semper eodem modo se habentes, quae diuina intelligentia continentur. sed cum ipsae neque oriuntur, neque intereant, secundum eas tamen formari dicitur omne, quod oriri potest, & omne quod oritur in interit. Idem habet sententia communis Doctorum. Probatur. Si enim creatae essent, per alias factae essent; & sic daretur processus in infinitum, ut ex S. Augustino pluribus deducit Suarez hic li. 3. c. 5. n. 2. Quocirca etiam si creaturae obiectiue in mente diuina existentes, ideas essent, non tamen ut sic creatae essent, sed increatae, saltem negatiue, & secundum esse obiectiuum aeternae & immutabiles in Deo.*

4 Assertio IV. Idearum non sunt creaturae obiectiue existentes in mente diuina; sed ipsa essentia diuina, sub certa aliqua ratione. Ita S. Thomas hic q. 15. a. 1. Albertus, Bonauentura, Egidius, Capreolus, in 1. d. 35. & 36. ite Alensis 1. p. q. 23. me. 4. a. 1. Henricus quodl. 9. q. 2. Ferrariensis 1. cont. gent. c. 54. Caietanus, alijq; Thomistae hic q. 15. a. 1. Suarez l. 3. c. 5. n. 6. & Metaph. d. 25. sect. 1. Vasq. d. 71. c. 2. adeoque communis Theologorum; etsi contrarium docuerint Scotus, Ockam, Gabriel in 1. d. 35. & ferè Maior, ibid. Richardus, & Durandus in 1. d. 36. Alliacensis q. 6. a. 3. Quae sententia, ut in quaestione potius philosophia, nec tã rei, quã nominis, nõ rectè quidam

temeritatis arguunt, ut rectè Vasquez ibid. n. 6. cum praesertim nõ pauci vniuersim doceant, intellectus creati ideas, esse conceptus obiectiuos, non formales; in quibus sunt etiã ipsae Vasquez ci. d. 71. n. 7. & d. 72. a. n. 9. Albertinus tom. 1. q. 6. p. 5. n. 24. & Conimbricenses q. 3. a. 2. quibus non parũ fauēt Aristot. 7. Metaph. tex. 23. & S. Thomas cit. de veritate. q. 3. a. 2. Est ergo solù probabilior hæc assertio.

Probatur auctoritate SS. Patrũ, in quibus S. Dionysius, & S. Augustinus lo. cit. Ratio est, Tum quia ipsa essentia diuina est, quae representat Deo creaturas producendas, earumq; modos & c. Tum quia, sicut nulla creatura Deo est causa cognoscendi, ita nec causa operandi, per modum idearum. Accedit, quòd alias idea non ita proprie dicerentur increatae, aeternae, immutabiles, & c.

5 Assertio V. Essentia diuina formaliter habet rationem idearum, non proprie quã talis est, eminenter continens creaturas, ad cuius, etiam secundum suã entitatem spectatae, imitationem & similitudinem omnia fiant; nec proprie etiam, ut est species quasi quaedam intelligibilis creaturarum. Est communis Doctorum, quos pro sequenti assertionem citabimus; speciatim S. Thomã hic art. 2. etsi quoad priorem partem contrarium videantur sentire Henricus, Caietanus, Ferrariensis locis cit. item Gregorius de Valentia hic q. 1. p. 2. & alij recentiores Thomistae, quos refellit Vasquez disp. 72. n. 3.

Ratio est. Quia essentia diuina, uti formaliter nõ continet res creatas, quã tales ac secundum proprias earum rationes, ita etiam proprie non est imitabilis in creaturarum productione. Accedit quod Idea interna formaliter esse debet in intellectu; quod essentia non competit. Species vero intelligibilis, esto sit formalis similitudo obiecti, ut sic tamẽ solum habet se per modum actus primi, quo per se solo non sufficienter in ipsa mente representatur effectus efficiendus.

6 Assertio VI. Essentia diuina formaliter est Idea, quatenus est ipsum Verbum, seu conceptus formalis creaturae, cui secundum representationem assimilantur creaturae. Ita post Bonauenturã, Durandũ, Capreolũ docent Vasquez hic d. 71. c. 2. & quoad rem ipsam Suarez loc. cit. & colligitur ex S. Thomã hic q. 15. a. 2. ubi ait: *Idea operati est in mente operantis, sicut quod intelligitur; non autem sicut species, quã intelligitur, quã est forma faciens intellectum in actu. Et ibidem ad 1. ait: Idea non nominat diuinam essentiam, in quantum est essentia, sed in quantum est similitudo, vel ratio huius vel illius rei. Et ibidẽ ad 2. ait: Sapientia & ars significatur, ut quo Deus intelligit; sed idea, ut quod Deus intelligit, & c. Deus autem non solum intelligit multas res per essentiam suã, sed etiam intelligit se multa intelligere per essentiam suã: sed hoc est intelligere plures rationes rerum, vel plures ideas esse in intellectu eius, ut intellectus. Et similia habet q. 19. a. 4.*

Probatur primò ex S. Dionysio c. 5. de diu. nom. ubi ait: *Si enim solus hic, quem videmus, corũ, quae sub sensum cadunt, essentia & qualitates, quãquã multae sunt ac dissimiles, tamen ipse qui vnus est, aequaliterq; lumen fundit, renouat, alit, tuetur, perficit, diuidit, coniungit, fouet, secũda reddit, auget, mutat, firmat, edis, mouet, vitaliaq; facit omnia, ut vnaquãq; res huius vniuersitatis pro capite suo, vnus atq; eiusdem solus est particeps, causãq; multorum*

quae



qua participant in se aequaliter anticipatas habet; certe maiore ratione in eis, atque omnium causa prius consistisse omnium rerum exemplaria concedendum est, una, quae essentia superior sit, coniunctione; quandoquidem essentia etiam in lucem profert, quod secretus sit ab essentia. Exemplaria autem dicimus, esse essentia rerum effectrices rationes, quae in Deo coniunctae ante fuerunt, quas scripta diuina praedestinationes appellant, diuina scilicet ac bonas voluntates, quae constituunt et faciunt omnia; quemadmodum Deus, qui essentia antecellit, ea quae sunt, et ante statuit, et in lucem protulit. Vbi S. Dionysius aperte docet, Ideas diuinas, quas Exemplaria rerum creaturarum recte vocat, esse rationes rerum effectrices, ac praedestinationes, quae intellectus actum denotant: cui tamen insuper diuinam voluntarem adiungit, quod sine ea ideae diuinae ad opus non veniant, ut quaestione praecedenti de scientia Dei, quae est causa rerum, dictum est.

7 Ratio est. Quia Verbo, seu conceptui diuino creaturae, conueniunt omnes conditiones ad internam ideam requisitae; 1. quia est in mente seu intellectu formaliter. 2. est principium quoddam proximum liberè operandi ad extra. 3. est id, quod considerat Deus, dum res producit ad extra. 4. ad eius similitudinem in representando res ipsae quodam imitatione efficiuntur; & ita quidem accuratè, & exactissimè, ut res non fiant aliter, nec alio modo, quam quo ab ipso verbo, seu conceptui diuinæ mentis repræsentantur; idque iuxta determinationem liberæ voluntatis diuinæ. Accedit quod multi etiam in creato intellectu, adeoque vniuersim docent, ideam internam nihil aliud esse, quam conceptum formalem in mente artificis, quatenus est imago quadam representatiua rei: in quibus est etiam Suarez loco cit. post Alensium, Bonauenturam, Capreolum.

8 Assertio VII. Conceptus formalis creaturarum in mente diuina, habet rationem ideæ, præcipue ac perfectissimè, prout reflexa quasi cognitione à Deo concipitur. Ita docet S. Thomas hic q. 15. a. 2. ad 2. vbi ait: *Idea significatur in Deo, ut quod Deus intelligit, et c.* item, *Deus intelligit, se intelligere multa per essentiam suam; et hoc est intelligere plures ideas esse in intellectu eius, ut intellectus.* Et idem paulo antea etiam dixerat S. Thomas de artifice: *Dum intelligit, inquit, formam domus, ut à se speculatam, ex eo quod intelligit se intelligere eam, intelligit ideam, vel rationem domus.* Ex quibus intelligitur, iuxta mentem S. Thomæ, conceptum formalem rei faciendæ, habere quidem rationem essentialem ideæ, etiam absque eo, quod reflexè intelligatur; intelligendo enim non efficitur ideam, sed cognoscitur, ut inquit S. Thomas; attamen ad perfectionem quandam eius spectare, ut intelligatur, adeoque reflexè concipiatur, ita ut sit exemplar quoddam rerum efficiendarum cognitum.

Vnde quamuis etiam in creato intellectu, ad rationem ideæ necessarium non sit, ut conceptus formalis artificis, tanquam obiectum quod reflexè concipiatur; etsi hoc pertineat ad quandam perfectionem ideæ, ut rectè etiam docet post alios Suarez in Metaphys. loco citato. conclus. 3. & consentit Vasquez disput. 72. num. 10. qua de causa etiam cognitio illa creaturarum in Deo, habet essentialem rationem ideæ, licet abstrahamus à reflexa cognitione ipsius cognitionis; cum ipsa etiam per se directæ

cognitio dirigere possit operantem vel similitudo rei efficiendæ imitabilis: simul tamen re ipsa certum est, ipsam etiam illam intellectionem diuinam, vel cognitam, vel maximè esse ideam: cum Deus eadem cognitione, se ipsum, creaturas, & suammet intellectionem necessariò intelligat: præterquam quod nonnulli existiment, etiam in creato intellectu ideam debere concipi, ut obiectum quod; de quo hic non disputo.

9 Assertio VIII. Ideæ pertinent ad practicam Dei scientiã. Ita Albertus in 1 d. 35. Durandus d. 36. quos etiam sequitur Vasquez disp. 74. n. 3. cū recentioribus Thomistis, etsi paulo aliter loquatur S. Thomas hic quaest. 15. art. 15. & quaest. 1. de potentia art. 5. vbi discrimen constituit inter Ideam & Exemplar; quod hoc sit rerum futurarum tantum, & pertineat ad scientiam Dei practicam; idea sit etiam rerum possibilem, & pertineat ad speculatiuam Dei scientiam, & non nisi virtute practicam. Quod postremum etiam docent Egidius in 1. dist. trigesima sexta, & Gabriel d. 35.

Sed suppositis ijs, quæ diximus præcedenti quaestione dub. 11. de scientia Dei practica, patet, scientiam practicam absolutè ac generatim loquendo, non tantum esse rerum quandoque existentium, seu futurarum, sed etiam merè possibilem: ac proinde cum ideæ etiam practice versentur circa res, quatenus hoc vel illo modo fieri à Deo possunt, rectè simpliciter dicuntur, ad practicam Dei scientiam pertinere, non ad speculatiuam: in quantum nimirum, scientia aliqua in actu primo verè etiam practica dicitur; licet in actu secundo ad opus efficaciter non referatur; quam practicam virtute vocauit S. Thomas loco citato. Nec vero discrimen illud allatum, inter Ideam & exemplar, ad modum quidem loquendi duntaxat pertinens, omnes videntur recepisse, nec est quasi certa lege definitum, aut antiquorum Patrum, vel Philosophorum auctoritate firmatum, ut rectè Suarez hic libro tertio capite quinto, numero octauo. Vasquez disput. 73. num. 14. & Gregorius de Valentia quaest. 15. p. 4. vbi propterea etiam admittit cum Banne hic quaestio 15. art. 3. dici posse Ideas, per modum exemplaris, esse rerum merè etiam possibilem.

10 Assertio IX. Ideæ, & exemplaria, seu rationes Ideales & exemplares, ab æterno conueniunt Deo; & ideæ quidem etiam necessariò. Colligitur ex assert. 3. & seqq. Et est mens S. Augustini & Doctorum ibidem. Quia cū ideæ, & exemplaria sint ipsi conceptus formales creaturarum in mente diuina, quatenus aliquo modo imitabiles in earumdem productione, non supponunt existentiam vllius creaturæ; nec adeo significant relationem ad creaturas, quæ consequatur actionem Dei transeuntè sed immanentem, qualia nomina Deo ab æterno conuenite dictum est supra q. 7. dub. 2. Et quia Ideæ dantur etiam respectu rerum possibilem tantum; necessariò etiam conueniunt Deo. Idem dicendū est de exemplari, si ab idea placeat non distinguere: secus est, si recipiatur distinctio supra dicta S. Thomæ, quod exemplar solū dicatur respectu rerum actu quadoque existentium seu futurarum; hoc ipso n. quod res non necessariò, sed pro sola Dei voluntate futuræ sūt, & actu quadoque existit, non necessariò, sed liberè, hoc sensu, Exemplaris ratio diuino conceptui conuenit.



## DV BIVM II.

Quot. & quarum rerum Idea sint  
in mente divina.

S. Thomas 1. p. q. 15. a. 2. &amp; 3.

**A**ssertio I. Non sunt à parte rei plures, & re ipsa distinctæ Idæ in Deo. Ita S. Thomas hic q. 15. a. 2. & communis Doctorum; & patet generatim ex ijs, quæ de simplicitate, & attributis Dei in genere diximus contra Scotum & Gilbertum; nimirum attributa absoluta in Deo à parte rei non esse distincta: sunt autem Idæ prædicata quædam intrinseca Dei, & quidem absoluta, quæ nullam habent realem relationem ad alterum; non personalia, seu realiter relativa.

Assertio II. Possunt tamen ratione distingui, ac re ipsa quoque ita distinguuntur plures Idæ in Deo. Ita S. Thomas eodem a. 2. & communis Doctorum Patet ex S. Augustino lib. 83. qq. 46. vbi simpliciter plures Deo Idæ tribuit, & ait: *singula proprijs rationibus creata sunt.* Ratio est. Quia Idea in Deo non est ipsa essentia diuina sub ratione essentie, sed sub ratione conceptus formalis creaturarum: quales conceptus, per comparationem ad varia obiecta, recte inter se ratione distinguuntur & multiplicantur.

Assertio III. Idæ plures in Deo ratione distinguuntur, non ipsius Dei, vel beati, sed Viatoris tantum; etsi Deus quoque ratione nostra distinctas cognoscat. Ita generatim docuimus de attributis diuinis, & in specie hoc loco tuetur Vasquez disp. 73. etsi nonnulli aliter sentiant; primum iij, qui docent, ideas in Deo solum distinguuntur per intellectum diuinum, vt vult Thomas Argentina in 1. d. 36. q. 1. a. 1. sed absq; fundamento: deinde alij, qui docent, tam ideas, quam cetera attributa diuina, non sola ratione nostra, sed etiam intellectu diuino distinguuntur; in quibus Henricus quod. lib. 9. q. 1. Egidius, Capreolus in 1. d. 36. & vt apparet S. Thomas hic quast. 15. a. 2. ad 2. vbi ait: *Deum intelligere plures rationes rerum & plures ideas esse in intellectu suo.* Et clarius ad 3. ait: *dicendū, quod huiusmodi respectus, quibus multiplicatur idea, non causatur à rebus, sed ab intellectu diuino, comparante essentiam suam ad res.* Et similiter ad 4. ait: *Respectus multiplicantes ideas, non sunt in rebus creatis, sed in Deo, Non tamen sunt reales respectus, sicut illi, quibus distinguuntur personæ.* Idem clarius docet S. Thomas 1. cont. gent. cap. 54. & sequuntur Ferrariensis ibidem, & Caietanus, ac Thomistæ recentiores hic cit. art. 2.

Sed ratio nostræ assertionis est. Tum quia intellectus diuinus, & beatorum, intelligit res, prout sunt à parte rei; neque adeo per se relatè intelligit, quod relatiuum in se non est; sed Idæ in Deo re ipsa non habent relationem ad creaturas, vt dictum, & docet S. Thomas cit. q. 15. a. 2. Tum quia ille solum ratione distinguit id, quod à parte rei vnum & simplex est, qui pluribus conceptibus rem intelligit; non qui nouit solum rem ab alio pluribus conceptibus concipi: hoc est enim ratione distinguere, quod intellectu & intelligendo distinguere, seu per intellectionem distinguere; ita vt intellectus det & faciat distinctionem, detque denominationem distinctionis; quod

non potest facere, nisi ipsa intellectio sit multiplex & distincta. Quod si sola pluralitas obiectorum, ad quæ vnus, idemque simplex actus refertur, aut referri ab aliquo potest, sufficit ad distinctionem rationis, tum iam absque omni intellectu ideas cognoscente, erunt distinctæ idæ in Deo; qui à parte rei versantur circa plura obiecta.

Quia tamen Deus nostram intellectionem intelligit, qua nos, ob imperfectum nostrum cognoscendum, ideas distinguimus; ideo Deus vtique etiam Ideas ratione nostra, adeoque per respectum ad nostrum intellectum distinctas esse intelligit. Quo modo etiam admitti potest, plures ideas in Deo esse ab æterno; quia Deus ab æterno eas per respectum ad nostrum intellectum, seu cognitionem futuram, ratione distinctas esse intelligit: præterquam quod earum quoque fundamentum, quod est pluralitas obiectorum, est æternum: cum tamen ne sic quidem, Deus ab æterno dici possit creator, vel Dominus; cum eius denominationis seu relationis fundamentum, sit actio transiens Dei, quæ æterna non est, vt dictum supra q. 7. dub. 2. etsi Vasquez cit. disput. 73. num. 9. dicat, non posse dici plures ideas in Deo ab æterno, nisi fundamentaliter.

Assertio IV. Rectè simpliciter & absolute dicuntur plures Idæ in Deo. Ita S. Thomas hic art. 2. & communis Doctorum, quæ sumitur ex S. Dionysio, & S. Augustino locis cit. dub. præced. licet Albertus in 1. d. 35. art. 9. & Anselmus dist. 36. part. 2. art. 1. putent, commodius dici, vnam tantum ideam esse in Deo plurium rerum, quam plures ideas; sicut & Durandus in 1. dist. 36. quæstio. 4. ait; melius dici plures rationes ideales in Deo esse, quam plures ideas; si idea sit ipsamet essentia diuina; hæc enim non est multiplex.

Ratio tamen assertionis sumitur ex dictis. Quia idea diuina est essentia diuina, sub ratione conceptus, seu Verbi creaturarum; quod penes diuersitatem obiectorum, ratione nostra rectè multiplicatur: sicut etiam absolute sepe Deo tribuimus plures conceptus & volitiones, videlicet ex parte obiecti, & iuxta nostrum concipiendi modum, seu per distinctionem rationis; quæ limitatio ex subiecta materia per se intelligitur.

Idem dicendū est de exemplari; siue illud placeat cum S. Thoma distinguere ab idea; siue non: est enim quo ad hoc, par vtriusque ratio, & S. Dionysius citatus dub. præced. assert. 6. absolute plura Exemplaria in Deo constituit, etsi contrarium dixerit Richardus in 1. d. 36. a. 2. q. 3. Secus est de intellectu, scientia, & arte, in diuinis: quia hæc cum actum quasi primum, aut certe complexionem plurium actuum significant, non multiplicantur penes diuersitatem obiectorum materialium, vt rectè Vasquez cit. disp. 73. c. 3. contra Alessem in 1. part. quæst. 23. memb. 4. art. 1. qui de arte diuina aliter loquitur.

Assertio V. Idæ rerum possibilium in Deo sunt infinitæ, rerum autem existentium tot sunt, quot sunt res existentes, aut futuræ, habentes in Deo proprias ideas. Ita Suarez hic libro tertio, capite quinto, numero decimo quarto, ex communi, & sequitur ex relata doctrina S. Thomæ, quod idæ tam sint rerum possibilium tantum, quam existentium: licet Exemplaria tantum sint rerum-

futura-



futurarum, seu quandoque existentium. Supponitur autem, infinitas res esse possibiles, quibus distinctæ ideæ respondeant, ut mox dicitur.

Assertio VI. Sunt in Deo ideæ propriæ & distinctæ omnium substantiarum perfectarum, seu actualiter quandoque existentium, seu tantum possibilium, secundum rationes indiuiduas: an etiam secundum rationes specificas, & genericas, incertum est. Prior pars est S. Thomæ hic quæst. 15. art. 2. ad 4. & communis Doctorum, contra Henricum quodlib. 7. quæst. 15. & Platonem, qui posuit proprias & distinctas rerum Ideas solum, secundum rationem specificam, non indiuiduam. Ratio est. Quia ideæ sunt principia operandi ad extra, & pertinent ad cognitionem Dei practicam: quæ versatur circa indiuidua. Actio enim est circa singularia, & id quod per se fit, sunt indiuidua, non species vel genera.

Secunda pars declaratur. De generibus enim & speciebus diuersimodè sentiunt Doctores S. Thomæ loco citato ad 4. securus Platonem, ponit proprias & distinctas ideas rerum secundum rationes specificas, non genericas: quia *nunquam genus fit, inquit, nisi in aliqua specie.* Suarez libro tertio capite quinto, numero vndecimo, & Vasquez disput. 74. numero sexto, probabiliter negant, dari proprias & distinctas ideas rerum secundum rationem quoque specificam: idque probatur consimili ratione, ei, quam ex S. Thomæ de ratione generica attulimus: quia nunquam species fit, nisi in aliquo indiuiduo: nec sane ratio esse videtur, cur non dentur ideæ generum, si dantur specierum.

6 Assertio VII. Materie & formæ per se sigillatim, non dantur propriæ & distinctæ ideæ. Ita S. Thomæ eod. artic. 3. ad 3. ex communi, consentiente, quoad materiam, etiam Platonem. Ratio est; quia ideæ sunt rationes & prototypa rerum faciendarum: adeoque propriæ & distinctæ sunt earum tantum rerum, quæ per se sunt: at neque materia, neque forma per se sunt, sed solum composita. Addit S. Thomæ ibidem aliam rationem, quod materia secundum se neque esse habet, neque cognoscibilis est; quam omitto: ut & illam Platonis, quod materia non sit creata; adeoque idea non causa materiæ, sed concausa: sed *quia nos posuimus materiam creatam à Deo, non tamen sine forma, habet quidem materia ideam in Deo, non tamen aliam ab idea compositi,* inquit ibidem. S. Thomæ ad 3. supponendo scilicet materiam non fuisse iniuo informem, de quo disp. 6.

Assertio VIII. Malorum itidem nullæ sunt in Deo ideæ propriæ & distinctæ. Ita S. Thomæ cit. art. 3. ad 1. ex communi. Ratio est. Quia mala uti non sunt per se entia, sed tantum defectus entium; nec per se sunt, sed per accidens; ita nec deponunt ideas proprias & distinctas ab idea subiecti in quo sunt, & formæ illius, quarum sunt priuationes: quamuis nihilominus distinctè & secundum se à Deo cognoscuntur, ut superius dictum.

7 Assertio IX. Accidentia, quæ inseparabiliter concomitantur subiectum, quia simul fiunt cum subiecto, non habent proprias ideas, an habeant alia

accidentia, quæ superueniunt subiecto, quæque a deo non necessariò simul fiunt cum subiecto, incertum est; probabilius negatur. Prima pars est S. Thomæ citata quæstione decima quinta, articulo tertio ad quartum. & communis Doctorum, quam tuetur etiam Gregorius de Valentia hic quæst. 15. punct. 4. Suarez cit. cap. 5. num. 13. etsi contrarium doceat Vasquez disp. 74. cap. 3. idque bene probat ratio S. Thomæ in assertionem allata; maxime si confirmetur ratione partis posterioris, quam tradunt Suarez & Vasquez loco citato, etsi contrarium doceant S. Thomæ, & Thomistæ recentiores, quos sequitur Gregorius de Valentia loco citato.

Ratio est. Quia propriam ideam habere non debet in mente artificis, nisi quod per se fit ab eo: at vero accidentia per se non fiunt à Deo; non solum, quia non habent esse per se; sed etiam quia omnia habent se per accidens respectu eius, quod per se fit; nimirum ipsius compositi, seu substantiæ completæ. Secus fit in artificibus creatis; qui cum per se, arte sua non producant substantiam, sed solum accidentia, puta certam figuram, formam, seu picturam, sonum, &c. propriam accidentium, non substantiæ ideam requirunt. Ex quo soluitur ratio contraria S. Thomæ ibidem ad 4. *Artifex, inquit, per formam domus facit omnia accidentia, quæ à principio concomitantur domum: sed ea quæ superueniunt domui iam factæ, ut picturæ, vel aliquid aliud, facit per aliquam aliam formam.*

Et confirmatur assertio 1. Quia materia & forma ideo non habent propriam ideam, quia non per se fiunt, nec per se habent esse: eadem, & maior est ratio accidentium n. 2. quia cum accidentium Esse sit inesse, ita saltem ut secundum ordinariam Dei legem nunquam per se existant: nec vero etiam subiecta existere possint sine accidentibus, his vel illis, etiam si ex sua ratione singula sint à subiecto separabilia, existimandum est, Deum habere omnium substantiarum completarum in indiuiduo, proprios & distinctos conceptus, adeoque proprias etiam & distinctas species, secundum infinitam varietatem, & combinationem omnium omnis generis accidentium.

Nec refert, quod sæpè accidentia fiant à Deo, absque noua productione subiecti; idque utique secundum rationem & paradigma certæ alicuius ideæ: quia nihilominus ad hoc seruire potest conceptus ipsius substantiæ, quatenus tali accedente modificata concipitur: sicut idea figuræ domus sæpè est substantia; cum tamen non nisi figura domus fieri debeat: imò solius accidentis per se conceptus, non potest sufficienter seruire, ad productionem accidentis cum inhaesione in ipsa substantia; cum de absoluta potentia fieri possit accidens extra substantiam; ipsiusque accidentis essentia non consistat in actuali inhaesione in subiecto, præsertim hoc vel illo particulari, in quo producenda est. Quia tamen, ut recte notauit Vasquez loco citato, hæc res tota ad quæstionem potius nominis pertinet, non est de ea magnopere contendendum.